



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 127. Reginæ Matris iter in Aquitaniam ad reducendum Navarræ Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1578.

vare possent, illisque duo aureorum mil-  
lia per singulos menses ad alenda præ-  
sidia pro sua defensione a Rege exsolve-  
rentur: id vero, ubi ex ipsius literis in  
aula cognitum est, Regina parens æger-  
rime tulit, & magnum negotio a se a-  
pud Navarræ Regem suscepto præjudi-  
cium fieri rata, apud Regem graviter  
ea de re exostulabat, ac propterea se-  
verius cum Maugirono actum iri pleri-  
que existimavere, sed filii sui favor, qui  
patri præfecturam conciliaverat, eum a  
justa Regis ira protexit. Tandem ve-  
ro Maugironus hanc rem meliori, quo  
potuit modo composuit.

## §. CXXVII.

*Reginæ Matris iter in Aquitaniam ad  
reducendum Navarræ Regem.*

Paulo post Regina Mater in Aquita-  
niam profecta est, eamque comita-  
batur Margarita Regina Navarræ Re-  
gis conjux, quæ ad Maritum suum ac-  
cedendi veniam jam dudum efflagita-  
bat: itaque Regina Burdegalam veniens  
ibidem cum summa magnificentia exci-  
pitur, inde vero quosdam ablegabat,  
qui cum Protestantium Deputatis apud  
Navarræ Regem commorantibus age-  
rent: verum hic Rex ob adversas regni  
sui vicissitudines ad acceptandam pacem  
veluti vi adactum sese cernebat, cum

*Mem. de la  
Reine Marg.  
l. 3.  
Matthieu l.  
7.  
Avila l. 6.*

Gg 5

ad



Sæcul. XVI.  
A.C. 1578.

ad bellum gerendum viribus impar esset: nihilominus eodem tempore clam privatas fovebat dissensiones, ratus, quod hæc sensim ad hostiles invasiones aditum pararent, earumque ope ipsemet suam, suorumque fautorum auctoritatem stabilire posset.

Interea Ministri, qui unacum Regina Matre advenerant, necnon Protestantium Ecclesiarum Deputati initium fecere Neracensi colloquio, quod ad potissimam hyemis partem protractum nonnisi postrema Februarii die anno sequenti absolvebatur: mense autem Julio priusquam hoc colloquium inciperet, Curia partim ex Catholicis, partim ex Protestantibus conflata juxta vigesimum secundum Bergeracensis editi articulum Aginni erigebatur. Hæc curia duodecim Consiliariis, & duobus Præsidibus constabat, quorum unus Catholicæ Religionis, alter vero Calvinianæ sectæ addictus erat, iique nullam sententiam proferre poterant, nisi ex Protestantibus pars tertia Judicum, qui causam exciperent, assisteret: attamen factionum æmulatio necessario in ejusmodi Curia adeo turbida prædominabatur, ut semper, quotiescunque suffragia ferre oportebat, acres exorirentur verborum contentiones, quæ rectum justitiæ ordinem interturbabant: unde



unde paulopost adventantibus Deputatis, quos Parisiensis Senatus juxta edictum nominabat, hæc Curia supprimebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1578.

§. CXXVIII.

*Bellum inter Catholicos, & Protestantas in Avenionensi Comitatu.*

Cum paci regno reddendæ insudaretur, interea belli furor in Avenionensi Comitatu in apertas erumpebat flammæ, opitulantis Papæ Ministris, qui Protestantibus quicquam indulgere recusabant: cum autem utriusque partis Proceres hanc ditionem innumeris calamitatibus expositam deplorarent, quosdam Nemausum vicinam urbem ablegant, ut hæc dissidia dirimendi media excogitarentur, ubi diu, acriterque discutebatur, an Protestantibus, prout postulabant, in summi Pontificis ditionibus publicos cætus habendi libertas concederetur, tandem vero die octava Novembris pacificatio sanciebatur, viginti duobus comprehensa articulis, quorum præcipui erant sequentes.

Thu. l. 66.

§. CXXIX.

*Sancitis concordie articulis bello finis impositus.*

I. Nemini propter Religionem molestia fiat, II. Protestantes bonis, possessionibus, ac dignitatibus, a quibus

Thuan. l. c.